



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Via Lactea Sive Institutiones Iuris Canonici

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Tit. IX. De Sacramento Matrimonii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94613](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94613)

dixi, his confertur, qui sunt infirmi, & in extremo vitæ periodo positi; & si fortè ad sanitatem revocantur, atque iterum in morbum incidunt, iterum unguntur, ut *d. cap. 3.* Non datur autem amentibus, quia intellectu carent, sed datur ægrotis, & Pœnitentibus, non his, qui in peccato perseverant, ut in *d. c. 3.* apertè legitur, & in *illud superfluum. 95. d.* Quæ partes autem unguntur, vide Gloss. hicin §. Sciendum. In Verb. partes.

Quò ad Ultimum. Datur hoc Sacramentum ad confirmandam animam ægroti, ut possit hosti naturæ humanæ resistere. Item ad peccatorum reliquias abstergendas, nec non ad excitandam in ægrotò maximam divinæ legis fiduciam, & ad spiritualem medicinam; ut in *d. sess. 14. c. 2.* Unde etiam effectus hujus Sacramenti maximus est, cum ipsum plurimum gratiæ conferat, plurimumque auxilium; ut in *d. c. 2. d. sess. 14.* Sed utrùm extet Præceptum de Extrema Unctione recipienda in gravi firmitate? Et an pluries possit recipi in eadem infirmitate? videndæ sunt mæx Decisiones, de Extrema Unctione Decis. 81, ubi plurima curiosa Quæstia, & Dubia resolvuntur circa Materiam, Formam, & Effectus hujus Sacramenti.

T I T. VIII.

De Sacramento Ordinis.

Quia Sacramenta alia sunt Necessaria, alia Voluntaria. S. Sacramentum, Suprà de Sacram.; cum hucusque tractatum sit de illis Sacramentis, quæ sunt necessitatis, nunc incipit tractare de aliis, quæ dignitatis, & voluntatis sunt, & sic de Ordine; & Matrimonio. Et circa hunc Titulum videbimus:

1. Quid sit Ordo?
2. Quæ in ordine considerentur?
3. Ad quid Ordines inventi sint?

Quò ad Primum: Ordinis Sacramentum; quod verè, & propriè Sacramentum existit, *c. 3. de Sacram. Ordin. sess. 23. in Concil. Trident.* Est Signaculum quoddam Ecclesiæ, propter quod spiritualis potestas traditur ordinato, ut hic. Quæ quidem potestas secundum nonnullos in potentia activa consistit, sicut Character, qui in Baptismo imprimitur, & in potentia passiva. Archiepisc. Florent. in sua Summ. eod. in princ. Item ex hac definitione colligitur, primam tonsuram non esse Ordinem, cum per eam nulla tonsurato potestas conferatur, sed solum capacitas ad alios Ordines, & quamvis in *c. Cum contingat, extr. de Etat. & qualir.* Ordo vocetur; tamen dicendum est ibi Ordinem largè accipi, prout de Regularibus diximus, quòd sunt Ordines S. Francisci, vel S. Dominici.

Quò ad Secundum. In Ordine consideratur. Primò gradus Ordinis. Secundò ipsamet Ordinatio; in qua inspicitur qualitas Ordinandorum, & Ordinantium, ac tandem modus Ordinandi, de quibus supra dictum est.

Quò ad Postremum: Ordines inventi fuerunt ad hoc, ut per ipsos ad Sacerdotium tendatur, ut dignè quis Altissimo possit ministrare, & reliqua Ecclesiæ Sacramenta conficere, *cap. 2. sess. 23. de Sacram. Ordin.* De hoc Sacramento inter meas Decisiones extat integer liber, in quo Decisionibus quadraginta explicantur omnia, quæ à Theologis, & Canonistis de

eo disputantur, & plurima Dubia resolvuntur.

T I T. IX.

De Sacramento Matrimonii.

Explicato tractatu de Sexto Sacramento; nunc differitur de Septimo, nempe de Matrimonio. Et videbimus:

1. Quid sit Matrimonium?
2. Ex quibus constet?
3. Qui contrahant Matrimonium?
4. Qui sint effectus?

Quò ad Primum. Matrimonium est Viri, & Mulieris conjunctio individuum Vitæ consuetudinem continens, cum divini, & humani Juris communicatione: ut hic in princ. concord. 27. quæst. 2. in princ. *c. Illud de Præsumpt. l. 1. ff. de Rit. Nupt. & Instit. de Pat. potestate, in princ.* Et est Sacramentum verum, & proprium à Christo institutum, quod gratiam confert, *c. 1. sess. 24. Concil. Trident. de Sacram. Matrimon.* Et duplex est Matrimonium, Carnale, & Spirituale. Per primum fit conjunctio Maris, & Fœminæ; per Secundum Christi cum Ecclesia.

Quò ad Secundum. Matrimonium consistit ex consensu, & copula, quæ eodem tempore cum pluribus esse non potest. *d. sess. 24. cap. 2. in Concil. Trid.*

Quò ad Tertium. Regula est generalis omnes posse Matrimonium contrahere, qui Christi fideles existunt, & consentire possunt, & sunt habiles ad copulam, ut not. in *c. Ex litteris, de Dispens. Impub.* Et notant omnes in Rubr. Qui Cler. vel voventes. Et de aliis, qui non possunt contrahere, infra videbimus.

Quò ad Postremum. Effectus sive Bona Matrimonii sunt Fides; Proles, Sacramentum. Fides scilicet conjugalis, quàm sibi nupti ad invicem debent, ne cum aliis adulterentur, fide conjugii violata. Proles propter quam multiplicandam Matrimonium est institutum in Paradiso *c. Cum igitur, in princ. 35. q. 1. c. Deinde 26. d. licet quibusdam non volentibus generare Matrimonia sint ad solatium. c. Nuptor. 27. quæst. 2.* Sacramentum, idest inseparabilitas, vel individuitas, quo ad perpetuam servitutem, nisi Religione, vel fornicatione separatio fiat, *c. In plerisq. de Convers. Conjug. c. Dixit. 33. quæst. 1.* Insuper in hoc Sacramento gratia confertur, *d. c. 1. de Sacramento Matrim. d. sess. 24. in Trident. Concil.* Integer autem liber inter meas Decisiones extat de hoc Sacramento: & in eo plenè, & facilè collecta sunt omnia, quæ de Matrimonio scripserunt Canonistæ, ac Theologi, eaque ornata sunt Historiis, & eruditionibus quamplurimis.

T I T. X.

De Sponsalibus.

Quoniam Sponsalia sunt tanquam præludia Matrimonii, de quo supra dictum est; ob id nunc agitur de Sponsalibus; & videbimus:

1. Quid sint Sponsalia?
2. Unde dicantur?
3. Quotuplicia sint?
4. Quot modis contrahantur?
5. Inter quos contrahi possint?
6. Qui sint effectus Sponsalium?
7. Quot modis solvantur?

Quò ad Primum. Sponsalia sunt mutua quadam repromissiones futurarum Nuptiarum, ut hic in princ. concord. l. 1. & 2. ff. eod. c. Nostres. 10. quæst. 5.